

res ardua, difficilisque habeatur, aliquem de Fide suspectum reddere, hinc est, in plenario judicio testes de novo interrogari, quasi nunquam interrogati fuissent. (\*)

## ARTICULUS VIII.

## DE CONFRONTATIONE.

XXI. Nonnunquam depositionum renovatio in ipsius rei conspectu testibus praestanda est; quæque vocitari solet *Confrontatio*, quasi facta fronte ad frontem, ac tribus præcipue in casibus: 1. ubi Testes aliquid deponant rei confessioni omnino contrarium. 2. Ubi testes nomen, et cognomen inquisiti ignorent, quem tamen delinquisse conspicerint. 3. Quoties duo testes ita discrepant sententiis, ut alter reum criminetur, quem alter purget. *Videndus Julius Clarus in Prax. Crimin. Quest. XLV. n. 14.*

XXII. Testium repetitioni aliquando inquisiti renuntiant, quos tanquam sati, ac rite examinatos libello sua manu signato declarant: quo facto testes repetere haud ultra fas est. Quod de foro dumtaxat laicali intelligas. (\*\*) Verum alii tantum opinantur, nefas esse reo testium repetitioni renuntiare, in caussis præcipue ubi fama, vel salus, aut vita propria, vel aliorum periclitatur; nemo enim neque alienæ, neque propriæ famæ, vel salutis dominus est; quocirca nulli integrum erit, eam periculo amittendi derelinquere; præsertim quum repetitio de substantia judicii esse censeatur: (\*) In Curis enim Ecclesiasticis renuntiationis illius libello clausula subnecti consuevit: *salvo jure repetendi*; qua sibi reus facultatem relinquit testium repetitionem pro lubito postulandi, expensis tamen suis peragendam: legitimo enim tempore Fisci, vel privativa accusatoris sumtibus facienda fuisset.

## ARTICULUS IX.

## DE CRIMINE FLAGRANTI, ET NOTORIO.

XXIII. In flagranti, vel notorio crimine, quod in longum pertrahere nefas est, ex Capit. Regni: *Carolus &c. Quod decretam tibi*, testium repetitioni locus non datur. Testes enim nonnisi semel post rei capturam audiuntur. Scilicet post præstitum coram ipso reo jusjurandum, à Judice interrogantur; mox et reus ipse interrogatur, et quidem etiam per suggestionem, quam criminis evidentia permittit: tum simul testium, et rei, quas Judicii dederint, responsiones in Acta rediguntur, ex quibus probationes pro flagranti, vel notorio crimine depromuntur, adeo ut nulla ulteriori probatione opus sit: *Cap. 21. de Jurejurando*, *Cap. 8. de Cohabit. Cleric. et mulier. et Cap. 9. de Accusat.*

XXIV. Jam verò distinguitur à notorio flagrans. *Flagrans* enim crimen significat clam licet perpetratum, de quo tamen testes, qui inibi præsentes adfuerint, deponant: *Notorium* verò delictum præfert publico in loco, et coram populo palam admissum: porrò procedendi forma in utroque eadem, pene est. (\*\*) Vide sis Gonzalez in *Cap. 9. de Accusationibus*, et Antonium Gomez *Lib. III. Variar. Cap. I. a. n. 40.* (\*)

## ARTICULUS X.

## DE REO CRIMEN CONFESSO.

XXV. Quid si Reus ultrò crimen fateatur? quum et defensiones etiam indulgenda? ita quidem. Poterit enim adversus suam ipsius confessionem excipere er-

roneam fuisse, mendacem, vel absurdam: præserum ubi tormentis extorta fuerit. At licet criminis confessio nullo pacto impugnari quiverit, non una tamen reo patet via ad sese defendendum. Poterit enim excipere, vel necessitate adactum, vel sine dolo crimen perpetrasse, vel fortuito, vel preter voluntatem. Porro hæc *simpliciter* proferre non juvabit, sed pro virili erunt adstruenda. Profecto ubi in crimen ambiguum quid, controversumque erit, non parvi erunt roboris ad crimen, sin minus diluendum, saltem enervandum.

## ARTICULUS XI.

## DE TORTURA REORUM.

XXVI. Processu plene instructo judicis est inquirere, num ex probationibus in eo conclusis possit reus damnari. Profecto quum de pena corporali infligenda agitur, præcipue capitali, indicia, et presumptiones satis non habentur, sed probatio requiritur non modo plena, verùm et indubitata, ac luce meridianâ clarior: ita DD. in *Leg. fin. Cod. de Probationibus*: *Julius Clarus. Quest. XXI. XXII. et LXVI.* (\*\*) et *Leg. XXVI. Tit. I. Partit. VII.* (\*) Si autem semiplena habeat probatio, licet reus ex ea damnari nequeat, poterit tamen torturæ, vel quæstiōni addici, ut vi tormentorum crimen confiteri adiungatur. (\*\*) *Leg. III. Tit. XXX. Partit. VII.* (\*) (1)

XXVII. Non desunt, qui torturæ præxim tanquam iniquam, et à ratione omnino abhorrentem traducant; quippe nefas videatur, ut qui nondum de crimen convictus est, tormentis adficiatur acerbioribus, et quidem morte ipsa durioribus, cujusmodi tortura est, ut seipsum reum prodat. Adhæc neque per confessionem rei in tormentis expressam plenam consequitur *Judex* probationem; quum haud raro accidat, ut in tortura crimen quis confiteatur, quod revera non admiserit: quare ex communi Criminalistarum sententia confessionis tormentis extortæ nulla habenda est ratio, nisi illam reus extra torturam intra sequentem proximè diem renovaverit, sive ratam habuerit: (\*\*) *Leg. VII. Tit. XXIX. et Leg. IV. Tit. XXX. Partit. VII.* (\*) Atqui et isti confessionis renovationi nonnisi levis videatur adhibenda fides, quum reus denud quæstiōni adplicetur, si priorem retractet confessionem: (\*\*) *ead. Leg. IV.* (\*) quam profectò licet falsam facile confirmabit, ut novam possit evadere torturam, præsertim quum tormentorum, et pœnam recens sit memoria, et adhuc vivax sensus.

XXVIII. Porro licet res ita se habere videatur, attamen jure æquè communis, ac municipalis torturæ usus non probatur modò, verùm et imperatur, ubi de criminibus agatur atrocioribus pœnam corporis afflictivam, et quidem graviorem ferentibus. Jam verò ut reis tortura ea æquitate, qua par est, inferatur, tria requiruntur. 1. Criminis atrocitas. Et sanè ex Justiniano *Novell. CXXXIV. cap. 13.* tortura pœna est utriusque manus abscissione gravior. Unde ex Constitutione Caroli II. Andegavensis *Cap. Si juste quis. Tit. Quod recipiatur sententia*, nonnisi in criminibus, quibus pœna ultra relegationem sit adfixa, tortura permittitur: (\*\*) et in Hispania ex *Leg. XXVI. Tit. I. Part. VII.* tantummodo in criminibus capititis, aut membris abscissionis pœna dignis, (\*) sib ei viximus.

XXIX. Requiruntur 2. indicia, et quidem adeo gravia, ut semiplenam saltem probationem constituant: *Leg. VIII. §. 1. Cod. de Questionibus*, (\*\*) *Leg. II.*

(1) In Rep. Mexic. nulla sunt tormenta quia à jure constitutionali prohibita fuerunt, et quæ inveniuntur principiis fundamentalibus opposita, intelligentur quoque vetita.

*et III. Tit. XXX. Partit. VII. (\*) Qua de re antequam à Judice tortura decernatur, reo indicia sunt patefacienda, et facultas reclamandi concedenda est ex Constitutione Caroli II. Andegavensis in Capitul. *Tomenta, Rubrica de Tortentis.* Tantummodo grassatores viarum, homicidæ, latrones insignes, aliqui acerborum criminum rei jam infamie notati, defensionibus non admissis, torqueri poterunt non modò in M. Curia Vicariæ ex Regiis Roberti Andeg. litteris relatis in Cap. ult. *Robertus &c.* Si cum de sceleratis; verùm et in inferioribus regni curiis; at in his requiritur, ut conformia sint totius tribunalis suffragia ex Pragm. Regis Caroli Borbonii an. 1738. (\*\*). In Hispania generatim receptum est, ut tortura non antea à Fiscali, vel accusatore proponatur, aut à Judice pronuntietur, nisi postquam caussa sit ad probationem deducta, et reo copia actorum, et facultas reclamandi suamque pandendi, si fortè innocentiam concessa ex Leg. VI. Tit. VI. Lib. II. Novæ Recop. quin et judices inferiores sine consultatione ad Regiam Provincie Audientiam torturam executioni mandare non possunt: neque Regia Aula nisi omnia concurrant suffragia Præsectorum: Leg. I. et XIII. Tit. VII Lib. II. Nov. Recop. (\*)*

XXX. In Curiis Ecclesiasticis num tortura adhiberi possit, non immerit quæres. Profectò adhibendam non esse, illud præcipue insinuat, quod per torturam sanguinis judicium exerceri videatur, à quo Ecclesiastici abhorrente debent. At contra levioris saltem torturæ usum probare videntur tum S. Augustinus *Can. 1. Causs. 23. Quæst. V.* ubi Marcellinum Comitem laudat, quod criminis cujusdam confessionem virgarum verberibus eruisse: qui modus, subnectit, coercitionis.... sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi; tum Alexander III. *Cap. 1. de Deposito,* ubi Episcopo Londonensi rescribit, ut iniquum furem ad rationem sub quæstionibus poneret. Verùm tortura jam in Curiis Ecclesiasticis in desuetudinem abiit.

XXXI. Denique 3. personarum conditio est spectanda: nonnulli enim præsertim nobiles, illustresque viri, legibus à torturæ cruciatu, et ignominia eximuntur, nisi de delicto læsæ Majestatis inquiratur, in quo solum æqua omnibus conditio est: Leg. IV. Cod. ad legem Jul. Majest. Eodem privilegio fruuntur quoque mulieres prægnantes; etiamsi esset prægnans ex adulterio, aut in ipso carcere ad evitandam torturam dolosè conceperet: quinimmo etiam si de concepiu dubitetur, et dubium per medicos, et obstetrices dilui nequiverit, nihilominus à tortura abstinentum est, non ut mulieri pareatur; sed ut foeti consulatur: Julius Clarus *ibid. Q. LXIV. (\*\*)* et Leg. II. Tit. XXX. Partit. VII. In nostro Regno jamdiu viri nobiles, atque hi, qui vocantur *Fidalgi*, Ministri Audientiarum, Doctores, et quatuordecim annis minores privilegio fruuntur, ne quæstioni subdantur: ead. Leg. II. Leg. VI. et V. Tit. II. Lib. VI. Nov. Recop. Exceipe læsæ Majestatis, et Sodomitæ crimina: Leg. XXIV. Tit. XXI. Partit. II. et Leg. I. Tit. XXI. Lib. VIII. Novæ Recop. (\*)

#### ARTICULUS XII.

##### DE PURGATIONE CANONICA.

XXXII. Purgatio Canonica ita dicta, quod Canonibus recepta, ea est, qua infamati, præsertim Ecclesiastici, de criminè, in cuius suspicione ponerentur, sese expurgare jubeantur: Cap. 1. de Confessis, Cap. 8. de Cohabit. Clerit. et mulier. Cap. 19. et 21. §. 2. de Accusationibus. Hæc purgatio plerumque fiebat emissio juramento de innocentia. Tanta enim antiquitas erat de Clericorum existima-

tione sollicitudo, ut non modò aperta crima, sed criminum ne suspicione quidem in ipsis Ecclesia sustineret: S. Gregorius M. Lib. II. Epist. 23. et Lib. VI. Epist. 18.

XXXIII. Obtinuit olim, teste Ivone Carnot. Epist. 54. et 206. ut in Purgatione Canonica solus infamatus suam innocentiam jurisjurandi interposita religione adsereret, atque hoc modo se à criminis infamia, vel suspicione purgaret. Quum verò quis in ejusmodi purgatione veluti in sua causa, judex constituatur, ac facile esset, ut ad pœnas evadendas perjurium admitteret; hinc mos induitus est, ut etiam testes adhiberentur, qui jurati testimonium dicerent de innocentia rei. ejusque suo testimonio exceptiones firmarent: unde quam frequenter in antiquis legibus locutio occurrit: *manu quinta, sexta, septima, vel duodecima se purgare*, h. e. quinque, sex, septem, vel duodecim adhibitis juratis testibus: dicitur autem *manu*, quod in publicis judiciis manu porrecta juramentum præstari jamdiu in usu fuerit, vel quod tactis sacrosanctis Evangelii testes illi jurare juberentur. Ejusmodi testes sic dictos Compurgatores, Conjuratores, et Sacramentales, ejusdem cum reo gradus, et conditionis esse oportebat, adhæc et ejusmodi, ut cum propter vicinitatem compertam habere potuerint veritatem, tum vel maximè tantæ fidei, et honestatis, ut simile verò haberetur eos nolle amore, odio, aut pecuniae obtenu pejerare: Cap. 7. 8. et 11. hoc Tit. Horum rituum in Purgatione Canonica servatorum primus meminit Gregorius Turonensis Lib. VIII. Hist. Franc. cap. 9. et 40. tum et eorundem frequens occurrit mentio in Capitularibus Reg. Franc. Lib. III. cap. 9. et Lib. V. cap. 59. et 62. Adhæc et in Lib. Decret. Cap. 5. 8. et 10. de Purg. Canonic. (\*\*). In Hispania usitata quoque fuit hujusmodi purgationis forma, nedum in Foro, ut evincitur ex Leg. II. Tit. I. Lib. VI. Fori Fund. sed et in Ecclesia; quod patet ex Syn. Ausop. an. 1068. Cap. VII. Illebens an. 1219. in Compilat. Tarragon. Lib. V. Tit. XIV. cap. un. quam et interdum usitandam voluit Syn. Vallis-plet. an. 1322. Capite XXVI. (\*)

XXXIV. Purgatio Canonica licet ob perjurii periculum pœnè exoleverit, in quibusdam tamen Ecclesiasticis Curiis adhuc in usu esse, et quidem in caussis non modò Clericorum, sed et laicorum testatur Espenius Part. III. Tit. VIII. Cap. IV. n. 55.

#### ARTICULUS XIII.

##### DE PURGATIONE VULGARI.

XXXV. Purgatio vulgaris ea est, quæ siebat per duellum, per ferrum candens, aut ex judicio aquæ frigidæ, vel ferventis: *Vulgaris nomen est sortita*, quod vulgi potius, quam Canonum auctoritate fuerit inducte. Ac primò purgationis per monomachiam exemplum habemus in Sacra historia: Lib. I. Reg. cap. 17. Scilicet Gigantis Philisthei, et Davidis singulare certamen, et quidem ea conditione initum, ut ex ejus eventu penderet Philistium, vel Hebreorum victoria. Eandem in usu quoque fuisse apud Danos, Francos, Gallos, Langobardos, Hispanos aliasque Gentes non in publicis modò dissidiis, verùm et ad privatas definiendas, terminandasque controversias fusiū probat Gonzalezius Com. in Tit. XIV. Cap. 2. de Cleric. pugnant. in duello.

XXXVI. Haud secūs ad dignoscendum, num quis revera crimen, cuius nomine accusabatur, reus esset, judicium aquæ frigidæ, aquæ ferventis, vel ferri cunctis adhibebatur. Judicium aquæ frigidæ in eo erat, ut accusatus in aquam immersus si supernataret reus, contra verò si in imò devolveretur, innocens habere-

tur. Aque ferventis judicium examen erat, quo quis de crimine suspectus, ut se purgaret, manum in aquam serventem nudato brachio immittebat, atque si ille sam extraheret, innocens, si contra, reus pronunciabatur. Demum probatio per ferrum candens, vel ignitum ea ratione siebat, scilicet ut suspectus de crimine ad innocentiae probationem nuda manu ferrum candens tangeret: quam si illasam corriperet, innocens, si adustam, nocens judicabatur. Singulae haec probationes, seu judicia exhibitis quibusdam sacris ritibus peragebantur: de quibus vide Stephanum Laluzium Tom. II. Capitularium Reg. Franc. inter veteres formulas Exorcismorum Cap. 2. Delrio Disquis. Magicarum Lib. IV. Cap. IV. Q. 4. Sect. 4. Du Cange in Glossario verb. *Aqua* judicium, et *Ferrum candens* &c.

XXXVII. Hujusmodi judicia, dubitari nequit, quin medio aevi maxime invauerint, ut patet ex Hinemaro Remensi in Opusculo inscripto de *Divortio Lotbarii*, aliisque illius aetatis Scriptoribus. At simul certum est, non desuisse iisdem temporibus, qui illorum usum haud probarent: Hinemarus Rem. Ep. ad *Hildegarium Meldorum Episcopum*. Hinc in Capitulari Ludovici Pii anni 829. Cap. 12. legitur: *Ut examen aquae frigidae, quod hactenus faciebant, a Missis nostris omnibus interdicatur, ne ulterius fiat*. Verum haec tanti non fuerunt, ut judicia illa apud Christianos desueverint, quin potius ad seculum usque XII, obtinuerunt: quod tum ex pluribus constat, tum vel maxime ex R. Pontif. Decretalibus, ac praecipue Alexandri III. Ep. 19. ad *Upsalensem Archiep. Honorii III. Cap. 3. de Purgatione vulgari*, Innocentii III. Cap. 10. de *Excessibus Praelatorum*, et Capite 9. Ne clerici, vel Monachi secul. neg. in quibus probationes illae indifferenter omnino abrogatae, meritoque interdictae sunt, tanquam superstitiones, et in quibus Deus tentari videtur.

(\*\*) XXXVIII. In Hispania plurimum quandam invaluit id genus Purgationum. Usus monomachiae ad difficiles terminandas contentiones frequentissimus sanè fuit. Profecto de monomachia uti de communi probationis modo loquitur Alphonsus Sap. Leg. I. Tit. IV. Partit. VII. Altera purgationis forma fuit per aquam ferventem, quam quidem ratam habuere Egica, et Witiza Leg. III. Tit. I. Lib. VI. *Fori Fud.* Tum et alia per aquam frigidam, quam et probarunt Syn. Tulliensis an. 1045. Cap. IX. et Ausonen. an. 1068. Cap. VII. Postrema per ferrum candens, eamque Alphonsus V. Legionensis, et Alphonsus VIII. Biaxiensis servandam prescripsit. Plures, easque revera superstitiones ceremonias ad hujus purgationis usum indixit pref. Alphonsus VIII. uti erat illorum temporum opinio; at non desuerunt, qui eas non modò non probarent, uti Alphonsus Sap. monomachiam pro rei controversae decisione Leg. VIII. Tit. XIV. Partit. III. sed et improbarent omniò: Syn. Vallis-olet. an. 1322. Cap. XXVII. (\*)

#### CAPUT DECIMUM TERTIUM.

##### DE SENTENTIA, EJUSQUE EXEQUENDÆ ORDINE.

I. Factis utrinque probationibus, quantum satis videtur partibus, vel judiciorum postulat, à Judice finis controversiae imponendus est, per sententiam, et quidem non *Interlocutoriam*, quæ caussa principali adhuc controversa, incidentem tantummodo articulum dirimit, sed *Definitivam*, quæ principalem caussam ita determinet, ut secundum eam contendentibus à controversia discedendum sit: Leg. XIX. §. 1. *Dig. de Recept. et qui arbitrium receper.* (\*\*) et Leg. II. Tit. XXII. Partit. III. (\*) Præter *Definitivam*, et *Interlocutoriam* datur quoque sententia

*Mixta*, scilicet ubi articulus incidens ita sit comparatus, ut ex ejus decisione principalis etiam caussæ decisio pendeat: qua de re vim *Definitivæ* habere dicitur. De hac sententia videtur locuta Syn. Trident. Sess. XXIV. Ref. cap. 20.

II. Omittenda non est sententia *Provisionalis*, qua quidem controversia non definitur, sed tantummodo à Judice perfuritur, ut præsenti necessitatì interim provideatur, tametsi nondum de caussa principali plenè cognoverit. Istiusmodi sententia locum habet in caassis ad Ecclesias, divinumque cultum pertinentibus: scilicet, ne Ecclesiæ ob lites longius protrahendas divino careant ministerio, Judicis est providere, ut divinus cultus interim hac, vel illa ratione peragatur: *Cap. 28. de Adpellationibus*. Ut quoque Parochi in caussa portionis congruae summarie, et provisionaliter consulendum est.

III. Sententia definitiva, quæ propriè, et per excellentiam sententia dicitur, ita definiri solet: *Determinatio ejus, quod justum est in casu aliquo præsentis à Judice, cognita caussa, facta.* (1) Profecto 1. sententiam caussæ cognitio anteiverit oportet: 2. notio injusti omittitur; determinato namque justo patet huic oppositum esse injustum: additur 3. *in casu præsenti*; Judicis enim sententia inter litigantes tantummodo jus facit; neque quantum ad alias similes caussas legitimam aliquam vim habet; (\*\*) neque aliis de eadem re contendentibus præjudicium parit: *Leg. XX. Tit. XXII. Partit. III.* (\*)

IV. Tribunalium civilium usus fert, ut ibi ad sententiam deuentum sit, de integrō totius caussæ examen instituatur, et quidem per Relatorem, sive Referendarium à Curiæ Præside insciis contendentibus designandum. Hic prius in causam inquirat, num sit legitimè instructa: tum ex Actis præcipua quædam capita extrahat, quæ caussæ definitioni quaqua ratione conducere videantur: dein in Curia coram Judicibus, postquam caussæ summam retulerit, principaliora illa indicabit capita, à quibus caussæ decisio præcipue pendere videtur: postremò his compleatis sententiam Judex proferet.

V. Quoniam sententiae ille scopus est, scilicet, ut finis liti imponatur; hinc 1. necessum est, ut sit certa: alias nec litem dirimeret, nec ullius esset roboris: *Leg. penult. et ult. Cod. de Sententiis, quæ sine certa quantitate.* (\*\*) et *Leg. III. Tit. XXII. Partit. III.* (\*)

2. Judex in proferenda sententia legitimas solemnitates servare non omittat: nimirū vocatis partibus, et in loco Curiæ consueto illam proferat: *Leg. VI. Cod. de Sentent. et Interloc.* (\*\*) et *Leg. V. et XII. Tit. XXII. Partit. III.* (\*) nisi Judex sit Delegatus, qui certam non habet sedem.

Tum 3. sententia scripto mandanda est, et ex scripto proferenda: *Leg. III. Cod. de Sentent. ex peric. recit. Novell. XVII. cap. 3.* (\*\*) *ead. Leg. V.* (\*) Levioribus tantummodo litibus exceptis, et maxime vilium personarum: *ibid.* (\*\*) et *Leg. VI. eod. Tit. et Partit. Leg. XIX. Tit. IX. Lib. III. Novæ Recop.* Id quod decretit quoque Syn. Hispalens. an. 1512. *Cap. LVII.* et Valent. an. 1565. *Sess. III. Tit. III. cap. 3.* (\*) Hanc juris civilis dispositionem antiquius Episcopi servare non cogebantur ex *Novell.* Nisi breves, *Cod. de Sentent. ex peric. recit.* (\*\*) et mox laud. *Leg. VI.* (\*) At secutis temporibus cum reliquo ordine judiciario in forum Ecclesiasticum faire in vectam demonstrat: *Cap. fin. de Sentent. et re iudic. ubi modo indicata Lex. III. probatur.*

4. Sententia nonnisi à Judice, ipsismet adstantibus, vel saltem citatis partibus, prælegenda est: *Leg. II. Cod. eod. et Cap. fin. hoc tit. in VI.* ubi Episcopo dum-

(1) *De* Vide notam VI. in hunc tractatum.